Misc. 650 n. 47

PERFECTA LIBERTAS SPIRITUS VERITATIS

ORATIO

Habita in Sacello Pontificio

AD SS. DOMINUM NOSTRUM

CLEMENTEM XI.

AB

ANTONIO STRASZEWSKI POLONO

CANONICO ULADISLAVIENSI,

Seminarii Romani Convictore.



ROMÆ, MDCCIX.

Apud FRANCISCUM GONZAGAM in via Lata.

Superiorum facultate.

Digitized by Google

Digitized by Google

CLEMENTI XI.
PONT. MAX.

ANTONIUS STRASZEWSKI
Felicitatem.

Quandoquidem, hodierna luce, ſuis munera Fidelibus Dator munerum ex alto demittit; quinimo, dum ipſemet mittitur & deſcendit, Ipſe fit munus; quidni & ego, munuſculum hoc conciſæ orationis, ad pedes Tuos aſcendere faciam BEATISSIME PATER. *Quod enim ejus laudes præſeferat, cujus Tu unicus es in terris Interpres, ſuo veluti jure, debetur Tibi. Quod verò exiguum, & tenue videatur; Principis aſpectum mi-*

Digitized by Google

minimè reformidat. Novit enim innatam illam Tuam, quæ non facilè in Principe reperitur, facilitatem omnes admittendi: tenues præſertim, ac pauperes: quibus etiam audiendis ſtatos dies, Judex idem, ac Pater impendis. Cui pietatis officio, cum Te tam ſedulò vacantem ſuſpexerit, miretur fortaſſe nonnemo, quî fieri poſſit, ut in hac temporum difficultate, tot Chriſtianæ Reipublicæ calamitatibus undique arctato, tot negotiorum mole preſſo Pontifici, tantum virium ſuperſit, ac temporis, ut valeat non minimam, vel minimis curam impendere.

Deſinet tamen mirari, ubi intellexerit, Te, ad hæc præſtanda, ejus Spiritu duci, cujus vices in Terris geris, [a] Patris Orphanorum, & Judicis Viduarum; Spiritu Veritatis. Inde fieri, [b] ut non ſecundùm viſionem oculorum judices, neque ſecundùm auditum aurium arguas; ſed judices in juſtitia pauperes, & arguas in æquitate pro manſuetis terræ: & dum negotiorum multitudine obſideris extrinſecùs; magna mentis libertate fruaris intrinſecùs: & maxima inter negotia numeres Pauperum curam. Faxit Deus, ut Spiritus Veritatis, qui vera eſt, ac ſola libertas, Chriſti jugo ſuaviſſimo omnes, per Te, mortales ſubjiciat; [c] & fiat demum, quod eſt optandum in primis, Unum Ovile, & Unus Paſtor.

a Pſ. 67. 6.
b Iſa. 11. 3.
c Io. 10. 16.

ORA-

ORATIO.

POSTQUAM grandi illo mendacio [a] Nequaquam moriemini, ab antiquo Serpente [b] mulier ſeducta, & per mulierem Homo in prævaricationem inductus, & victus eſt, BEATISSIME PATER: in poteſtatem Victoris redactus, ipſe, unà cum ſtirpe vitiata, ſervitutem miſerrimam ſerviebat. [c] A quo enim quis ſuperatus eſt, hujus & ſervus eſt. Veritas ergo, ut inductam per ſpiritum mendacii ſervitutem diſſolvat, hominemque in priſtinam revocet libertatem; Spiritum ſuum hodierna luce à Patre in terras demittit. [d] Perfecta enim libertas eſt Spiritus Veritatis.

a *Gen.* 3. 4.
b 1. *Timoth.* 2. 14.
c 2. *Petr.* 2. 19.
d *Io.* 8. 32. Veritas liberabit vos.

Triplex porrò Vitium, immo triplex in una illa ſervitute ſervitus inerat, cœcitas, perverſitas, atque corruptio. Cœcitas intelligentiam errori, perverſitas vo-

Digitized by Google

voluntatem peccato, corruptio totum hominem morti ſervire adigebat. At [a] ubi venit plenitudo temporis, contra mendacium de cœlo deſcendit, [b] & de terra orta eſt Veritas Dei Filius, qui [c] Doctrina, [d] quam attulit, [e] Gratia, quam fecit, [f] Æternitate, in qua manſit, à triplici illa ſervitute nos vindicare eſt aggreſſus. Libertas tamen nondum erat ad perfectionem adducta. Liberatio perfecta Spiritui reſervabatur. Spiritus autem dari, niſi glorificato, atque in Patris dextera Dei Filio ſedente, non debuit. [g] Nondum erat Spiritus datus, quia Jesus nondum erat glorificatus. Sed poſtquam redivivus è tumulo erupit, atque [h] in altum aſcendens in jubilatione, atque in voce tubæ, captivam duxit captivitatem; tum verò, triumphantis in morem, miſſilia de cœlo dedit dona hominibus.. At quænam dona daret captivis Liberator, niſi quæ liberos faciant? Quid liberos faceret, niſi Spiritus Filii, [i] In quo clamamus, Abba Pater, Spiritus Veritatis? De hoc ergo Spiritu, qui Sapientiæ plenitudine intellectum ab errore, redundantia Charitatis voluntatem à peccato, corporis, & animæ Immortalitate totum hominem à corruptione perfectè liberum faceret; [k] Effudit hodie ſuper omnem carnem.

Hodie nimirum, per Spiritum [l] Chriſti Illuminantem, [m] Repleta eſt terra ſcientia Domini, ſicut aquæ maris operientes, [n] Aquæ Sapientiæ ſalutaris, quibus potati Eccleſiæ Principes, jam ſapere incipiunt [o] Quæ ſurſum ſunt, non quæ ſuper terram. Jam ſe [p] Nihil ſcire

a *Galat.* 4. 4.
b *Pſ.* 84. 12.
c *D. Thom. in Jo. c.* 8. *lect.* 4.
d *Jo.* 18. 37 Ad hoc veni in mundum ut teſtimoniũ perhibeam veritati.
e *Jo.* 1. 17. Gratia. & Veritas per Jeſum Chriſtum facta eſt.
f *Pſ.* 118. 89 In æternum Domine permanet Verbum tuum.
g *Jo.* 7. 39.
h *Pſ.* 61. 19. & *Pſ.* 46. 6. & *Epheſ.* 4. 8.
i *Roman.* 8. 15.
k *Joel.* 2. 28 *Act.* 2. 17.
l *Epheſ.* 5. 14.
m *Iſa.* 11. 9.
n *Eccl.* 15. 3.
o *Coloſ.* 3. 2.
p 1. *Cor.* 2. 2.

Digitized by Google

ſcire arbitrantur, niſi Chriſtum, & hunc crucifixum. Et velut aquæ maris terras operire, & quam cœlitus doctrinam hauſerunt, effundere in populos properant. [a] Et ex omni natione, quæ ſub cœlo eſt, viri audiunt eos loquentes magnalia Dei. a *Act.*2.5.

Hodie per Spiritum Chriſti [b] Sanctificantem [c] pluviam voluntariam, ideſt, pluviam Sanctitatis, ſegregavit Deus hæreditati ſuæ. Quia enim amor in voluntate, in amore Sanctitas eſt; quid pluvia hæc voluntaria, niſi pluviam divini Amoris, pluviam ſanctitatis indigitat? Attendite igneæ hujus pluviæ miram, ac ſubitam fœcunditatem: dum illi ipſi, qui de ignominia Magiſtri futura [d] Vehementer paulo ante contriſtabantur, nunc de propria jam facta tripudiant, [e] & Gaudentes eunt à conſpectu Concilii, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Jesu contumeliam pati. b *Hebr.* 10. 10. c *Pſ.*65.10. d *Matth.*17. 23. e *Act.*5.41.

Hodie per Spiritum Chriſti [f] Vivificantem [g] Liberata eſt Creatura à ſervitute corruptionis in libertatem gloriæ Filiorum Dei, & duplici donata eſt immortalitate: corporis nempe, quod nunquam ab anima, qua vivit corpus; & animæ, quæ nunquam à Deo, quo vivit anima, divelli poterit. f 1. *Cor.*15. 45. g *Rom.* 8. 21.

O Spiritus Veritatis [h] Omnem habens virtutem, qui è triplici erroris, peccati, & corruptionis ſervitute eductum genus humanum, in perfectam Sapientiæ, Sanctitatis, atque Incorruptionis libertatem inducis! O felix Servitus, quæ talem, ac tantum habere vindicem meruit! O verè neceſſarium Serpentis antiqui men- h *Sap.*7.23.

Digitized by Google

mendacium; quod erat tam ſuperabundanti Verita-

a *Jo.* 1. 14. tis [a] plenitudine refellendum!

Utinam Spiritus hujusmodi ita in omnes mor-

b 1. *Tim.* 3. 15. tales inſiliat, ut omnes ad eam, quæ in terris eſt [b] Columna, & firmamentum Veritatis, Eccleſiam veram, atque unam perducat. Sic enim erit, ut fiat una omnium, & perfecta Libertas, Spiritus Veritatis.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google